

1249 bis dignitas deferatur. Hic quasi reus ex penetrali in conspectum productus, jubetur ea diluere, si potest, quæ objecta sint: atque ubi id fecit, in pristinum conclave reducitur. Hinc rursus quæritur, an sit qui in ea quæ ille dixerit, de novo sit aliquid dicturus, atque ita quotiens objectum fuerit aliquid, sit ei diluendi potestas: sed una, aut ad summum duabus actionibus rem ipsam transigi solere accepimus. Post novissimam igitur purgationem pro eo vocata suffragia inveniuntur: atque in duos calices, assensus & negationis indices, pilas certis characteribus notatas, ne qua fraus inesse possit, demittunt: numeranturque diligenter suffragatoriarum pilæ, quæ si quinque & viginti numero fuerint, ille pro quo vocata sunt suffragia, declaratur Princeps: si pauciores, pro eo citantur, cujus nomen secundo loco fuerat forte eductum. In hunc quoque, ac deinde in reliquos, fas est cuique ea quæ sentiat dicere: atque rursus illi sit objecta refellendi potestas. Is quoque, si suffragiorum numerus quadraverit, Princeps erit: si minus, ad tertium veniatur necesse est: sic deinde ad quartum & reliquos in orbem. Raro ait evenire solere, ut ad pristinum hoc scrutinium non Ducis creatio sequatur: quæ si forte non secuta fuerit; antiquatis prioribus suffragiis, rursus nova pro iis, qui in conclavi sunt, inire incipiunt, ea videlicet ratione, quam proximo loco expressimus: idque totiens fit, quoad nova Principis contingat declaratio. Hæc habui quæ de Principis creatione sub gravissimo auctore referrem: ad quod ipsum dicendum, ne alicui a nostro instituto alienum fecisse credamur, consulto venimus: tum ut omnes intelligerent, quæ olim fuerit, quæque nunc sit apud Venetos creandi Ducis ratio, de qua sæpius ad hunc locum diximus, ac quum opus erit dicemus: tum quia hoc lectionis genere primum omnium Maurocenum ipsum creatum reperio. Verum si tunc, si postea, quod nonnulli affirmant, ea lectionis formula in usum venerit, satis constat, jampridem summum Venetiis magistratum in hunc modum creari.

1250 Sed nunc ad Mauroceni redeo administrationem: quo Principe Philippus Fontana, Ravennas Antistes, Gregorii, ut quidam tradunt, ut alii, Alexandri Romani Pontificis Legatus